

dium pedem descenderent; at hoc ipso tempore pedes quindecim percurreunt, ut notum est experimentis. Ergo gravitatis phænomenis non satisfaceret Cartesianæ hypothesi.

Ut hujus demonstrationis vim effugiant Cartesiani, fingunt vorticis celeritatem telluris vertigine esse multo majorem. Et re quidem ipsa, velocitatis decies septies majoris hypothesi facta, in itoque ut jam exposuimus calculo, prodit lineola quæ vim centrifugam exhibet pedum quindecim, ut postulans gravitatis phænomena. Verum explicandis deinde motuum legibus repugnat hæc major velocitas; vortex enim velocior in ipsam terram transferret aliquam velocitatis suæ partem, donec tellus & vortex communi velocitate moverentur; hanc tamen concedamus hypothesim & quid ex ea sequatur expendamus. Quicumque animo paululum attento rem perpenderit facile ascientietur effici non posse ut materia subtilis ipsaque tellus tanta ferantur velocitatum differentia, nisi prominentia quæque corpora in telluris superficie, veluti arbores, ædes, turres abripiantur atque subvertantur. Quis, quæso, hominum erectus stare super terra vel ad punctum temporis posset, capite decies septies velocius pedibus versus orientalem plagam translato?

Præterea experientia quotidianæ comperitum est gravia in sublime jacta deorsum recta tendere, idemque soli terreni punctum, cui ad perpendicularium projecta respondent, relapsa attingere; at in prædicta hypothesi, longe aliter se haberent experimenta. Corpus